



Disputatio medica inauguralis de mola

<https://hdl.handle.net/1874/340693>

10

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
M O L A,

Q U A M
DIVINO FAVENTE NUMINE
Ex autoritate Magnifici D. Rectoris,

D. JOHANNIS van MUYDEN,

Jur. Utr. Doct., ejusdemque Facultatis in Illustri hac Academia
Utragecina Professoris Ordinarii, Dignissimi

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicorum consensu, & Alma
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINA honoribus, & Privilegiis
rite, ac legitimè consequendis.

Publicè Eruditorum Examini subjicit

JOHANNES WURGER, Servest. Anhalt.
Ad diem 5. Julii horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clo lcc Lxxxvii.

VIRIS
INTEGERRIMIS INDUSTRIIS
VIGILANTISSIMISQUE
DOMINIS DOMINIS
JOACHIMO WURGERIS,
ET Fratribus germanis
HENRICO Mercatoribus Patronis Patrue-
libus instar Patris ad aras usque
colendis Venerandis.

*Hanc disputationem dedicare ac conse-
crale voluit debuit*

Eorum Humillimus servus
AUCTOR.



DISPUTATIO MEDICA

IN AUGURALIS,

MOLIA.

THEISIS I.



Tupenda naturæ phænomena majorem nullibi admirationem (me judice merentur, quam in monstrosa, & informi suorum corporum foetuum productione. Forsan iis hæc paradoxa videbuntur, quibus natura instar alterius numinis voluntate & ratione prædicti colitur: unde facile arbitrium liberum ipsi concedent, quosvis acervos suo more & norma disponendi, hos nempe ad ornatum, alios ad deformitatem &c. Sed melius edocti hæc soli D. O. M. relinquentes, ministranti naturæ minores titulos concedimus, hujus nomine tantum innuentes, ritam pressionem & motum fluidi in organis corporis solidi benè figuratis ad statum, augmentum, imò & declinationem, lege proprii motus suarum partium acquirendam. Unde in primo vita, in secundo actio, in tertio mors sese manifestat. Ex hisce non difficile erit colligere nugas scholasticas, quas de facultatibus suis imaginariis proferunt (ignorantia pef-

4 D I S P U T A T I O M E D I C A

simis asylis) à nobis explodi. Hæc etenim omnia debetur motui materiae subtilissimæ, aqueas glabras, & fluiles partitulas rafacentis, & propellentis, quarum ope salium acies ubique vicina corpora terrestria dividens, & perforans conaliculos, meatus, & interstitia sibi præparat, vel jam parata subingreditur minori, vel majori cum ferocia viam sibi patulam fingens, aut retinens. Hæc fluidorum pressio, quamdiu limites suos non excedit, nec superficiem corporum mutat, tamdiu dicitur corpus esse in statu naturali, sua figura & forma prædicto. Sed è contra, ubi cavitates, alveoli, & superficies alio modo disponuntur, alicubi tantum lineamentis & motu observatis, dicitur monstrum; si verò totaliter incongrua, nullibique fere vultui animali similis observetur instar alicujus chaos sive rudis indigestæque molis, dicitur Mola, de qua in præsentiarum agere animus est.

I I.

Grammaticis ipsius nominis, & derivationis sententiam liberam relinquimus, in transitu observabimus hoc, ut alia plurima nomina & verba Latina, à Græco vocabulo μόλη vel μόλος ortum sumere, unde etiam moles & pleraque incondita majora dura & immobilia corpora significationem suam traxere: ita ut non opus sit aprioribus verbis indicare, per hanc intendi pondus aliquod corporeum inconditum & inutile, uterum & partes vicinas gravans & obstruens. Belgicè Suyger, Germanicè *Ein Mohnkalb.*

I I I.

Si brevitatem in hâc dissertatione amplecti non cogeremur, uteri & partium ei ancillantium structuram & functionem acuratius delinearemus, verum sufficit hæc axiomata magis stringentia propositisse: (1.) omnia, vita vegetativa instruenda, determinata & miris plicis intricatam figuram canarium (qui canales præcipue pro vitâ illâ in arteriis & venis, vel iisdem æquiparantis visuntur) obtinuisse in solida tenella consistentia. (2.) Hanc figuram

I N A U G U R A L I S. ,

figuram plerumque esse globosam, vel Sphæricam ut æqualius respondeat omni motui partium fluidarum quæ alias in hanc aut illam partem magis premerent, & difficilius cursum suum absolverent, undè læsiones vel stagnationes fierent. (3.) Glandulas, imò & in vegetabilius gemmas arborum &c. tot esse quasi ovulæ suo modo figurata, per quæ succi convenientes elaborantur, & depurantur mirâ transcolatione, & metamorphosi. (4.) Omnia hæc posse, & debere, antequam vitam suam ineant, reserari foliū & irroratione humoris specifici, illorum poris & meatibus convenientis, ut dein magis explicata materiæ subtilis & corpusculorum illis appropriatorum motum & appositionem admittere possint. (5.) Tenellam hanc structuram magis quam ceream esse, omnibus figuris ineundis aptam : imo hanc ipsam figuratiōnem internam non semper in suo primordio unam eandemque existere.

I V.

E Præcedentibus sequentes formabimus hypotheses. (1.) affluentiam materiæ nimiam potuisse plicas aliorum præcipue vasorum & partium, non autem venarum, (iis enim destructis cessat vegetatio) &c. per levem collisionem, concussionem & angustationem nimiam inordinato & inconcinno modo disponere. (2.) Ratione loci, in quo illæ coalitæ formæ delitescunt, diversa externa accidentia figuram illan circularem variare queunt, ut in plurimis illud observatur vegetabilibus. e. g. in seminibus pluribus uno alveolo reconditis, in bulbis, leviori modò læsis & contusis, undè diversi postea flores & fructus emergunt; sed præcipuè in partu gemello idem non raro observatur, ita ut illud recensere opus non sit. (3.) Glandularum tumores & morbos deformes quis nisi in re medicâ planè hospes ignorat, ubi involucra illa, succo flatulento aut acri humido turgida superficiem altam & montosam vel planè duram reddunt, ut in solivatione &c. plus quam satis patet ? (4.) Fatua & inertia hæc involucra existerent, nisi prout Chymici loqui amant, fermentativo motu instruerentur secundum partes suas fluidas,

(quas ego tamen pro maximâ sui parte in propulsivo motu acquiescere autumo) ut expansionem acquirant, & liberius de loco in locum propulsæ ubique explicationem efficerent, & hic illic benè figuratas particulas Salinas, Terrestres, & Aquosas, deponerent tam ad nexum partium solidiorem faciendum, quam ad augmentum illarum & dilatationem procurandam adjuvantibus post tergum denuò subsequentibus paticulis, ad illam formam per circumvolutiones varias reducendis, quæ vegetatio æque in bonâ quam in malâ corporis configuratione, tamdiu persistat quamdiu nulla adest interruptio vera canalium, quæ si hic illuc accidat, statim vitium in figura & motu sequitur. (5.) Constitutio tenera primæ corporum formæ mirum in modum vacillat, sed non semper eosque, ut planè destruatur, verum potius ut in aliam transeat confitentiam, vasis & superficie alio modo dispositis, à succo extrinsecus accidente nimium oppletis, attramen cohærentibus, & in unam massam conglobatis, quæ vitia aliquando monstrâ, sed præcipue ubi quasi conquisatae & in debito modo apertæ fuère glandulæ, & vasa fibrosa, Molas producunt.

V.

Nunc ad ipsam Molæ definitionem transimus, in quâ an præcedentia postulata locum habeant, examinabimus. Mola est ruditis & inordinata congeries massæ carnosæ & venosæ, fungi instar in utero conceptæ, vita vegetativa per semen virile præditæ.

V I.

Quoad interruptionem ordinis hujus machinæ fabricandæ, eam adscribimus non errori facultatis formatricis, quoniam ille error tantum à nobis observatur, sed non à natura committitur: Nullibi enim illa errat, verum leges sui motus perpetuò prosequitur, nec monstrofa producta exhibet, nisi respectu aliorum corporum. Hinc deformitatem illam ab ipsis ovi mulieribus

bris (Embryonatam malis lineamentis instructam figuram continentis) fœcundandi, sitū, oriri præsupponimus: sive illa constitutio in ovario, Tuba Fallopiana, utero, &c. jam tum præextiterit: Sive in ipso congressu semina exæstuantia aliqua vaſcula disruperint. Sive ubi in mutuum amplexum ruentes particulae Salino sulphureæ, in seminibus velocius jam agitatæ, nimis arctam mutuorum pororum & meatrum repletionem inverint, undè, densa & non spumosa vel rara corporum consistentia ut subsequatur necesse est: vel tandem, ubi inordinatè fluitantes acciores particulae, qua data via ruunt, & per varios illicitos tractus, cavernulas, & cuniculos sibi effodiunt, undè quantum illicite viæ aperiuntur, tantum aliae deprimuntur. Ex hisce confusus illius molis ordo, qui postmodum eidem semitæ insistens ab aliis supervenientibus non modo sovetur, sed & augetur, ut post hac latius.

V I I.

Quamvis in definitione fungosam nominaverimus conceptiōnem, non tamen quis inde præsupponat, nos excrescentias, Scirrhos &c. hisce annumerare. Sed prout fungi rudiora & minus egregiè delineata sunt vegetabilium partibus exterioribus adnata, in omni fermè parte sui similia, per aliqualem duritiem ligna, per flexibilitatem & mollitem folia, per raritatem spumosos flores, tandem per conglobatam figuram fructus, & semina representantia; sic etiam in Mola (quam primo in utero concipi, & non adnasci statuimus, pari ratione, ut omnes fœtus ex suo modo figuratis ovis) omnia hæc obſervare licet. Ibidem etenim carnea, membranosa & venosa cernitur substantia ossium disparitionem durities ſepiuſ recompensat, que simul cum visceribus conquallata succorum transitum citra debitam modificationem permettere debuit, undè ex confusa succorum diverſorum mixtura, solidior & durior illius corporis tuberculo & fungo ſimilis informis maſſa producta fuit.

VIII. Con-

DISPUTATIO MEDICA

VIII.

Conceptio & imprægnatio absque virili semine ut fiat contra naturam animalium est : in eo namque vivifici spiritus & moleculæ, tam ad motum debitum conciliandum, & vasa aperienda, quam ad primum nutritionis (si ita loqui liceat) vel potius confirmationis partium mininarum gradum acquirendum, delitescunt, posteaque instar automatis motum illum continuat ob rationes superius allatas. E molarum classe igitur eliminamus adnascen- tias, Scirrhos & reliqua uteri duriora & timida incommoda: quæ potius ex spontaneâ disruptione & lœsione vasorum ut & extravasatione humorum per ossium, fibrarum, membranarum mala colamina succulenta in callosam duritatem facessere cogun- tur.

IX.

Incommoda, quæ ipsi delineationi ovi in primordio con- tingere possunt, jam delineavimus, restat ulterior de ejus vita vegetativa inquisitio, quæ mirum in modum augeri vel minui potest accessu vel defectu corpusculorum malè aut benè figura- torum. Vegetatio est motus & accretio corporis terminis pro- priis descripta ob rationes in primâ thesi datas. Vitiatur (1.) ubi defectus est humoris Salino terrestris Aquosi ritè elabo- rati, & poris illius corporis proportionati, undè vel ingressus negatur, vel lœsiones manifestæ fiunt. (2.) Ubi abundantia & subtilitate nimis peccati; prior enim oneri, cum & partes mol- liores nimis distendit, posteaque dilacerat, vel si exteriorem oc- cupet superficiem, premit & comprimit sensimque hoc modo undulantes quasi factæ partes conquassando in pulpam Leviorem rediguntur indigestam formam recipientem. Posterior nimis patulas reddens vias succos ultrà citraque movendo confundit, ima ut dicitur supremus micendo & omnia perturbando, quo motu semel impresso figura vitiata non solummodo permanet, sed & incongruæ, per meatus illos admissæ, particulæ, consi- sten-

I N A U G U R A L I S. 9

stentiam alterant. Reliqua foetui jam bene delineato supervenientia incommoda hujus loci non sunt, cum rarius totaliter ita figura deleatur, ut vestigia planè aboleantur; sed potius monstruosam acquirunt formam, non solummodo ab imaginatione lassâ sed & à compressione uteri mulieris gravidæ, hanc vel illam figuram imprimentis molli foetui, ut & à particulis male determinatis copiosius illuc affluentibus &c. Quæ omnia illustrare ratiociniis & experimentis ultrà dissertationis metas excurrent. Nam imaginationis & phantasiaz directiones magis à corporeo situ & motu determinari, & modificari, quam à mentis ratiocinantis judicio dirigi, demonstrare possem, si tempus & otium permetterent, adeoque passiones animæ dictas corporeis umbris, diversas figuræ repræsentantibus potius esse attribuendas: sed ad rem.

X.

Ex antedictis hanc igitur conclusionem quoad Molæ productionem statuimus, Molam ex ovo jam male figurato vel figurando procreari iisdem legibus, ac omnia corpora ex mutuo congressu maris & fœminæ generantur. Attamen nolim omnibus experientiis in tantum refragari, ut nullam Molæ speciem in Virginibus & Viduis castis admitterem, sed multum differentis à veris Molis figuræ, præcipue internè si exactius obseruentur. Externa enim superficies ab ipsis uteri situ &c. eodem ferè modo adaptari poterit, imò quamvis in principio adnatae fuerint partibus uteri excrescentiae, illæ per vehementiores corporis agitationes, affluxum humorum cellulas dilatantium & debilitantium, ut & per medicamenta assumta acriora, ad eundem finem conspirantia divelli potuere &c. Attamen hæc sunt de raro contingentibus, ideoque valdè parum prostituti floris virginibus talia patrocinantur; Nec cum Paracelso homunculum ex solo virili semine ritè digesto vel exaltato fieri posse autuamus, sed prout è sale nunquam vegetatio ulla observatur, nec etiam è sola terra densiori germina in æternum speranda sunt, nisi illa duo nempe saltamquam semen virile, terra tanquam Em-

B

brio

10 DISPUTATIO MEDICA

brio figura jam instructus, concurrant in mutuos sinus, excipiends in utero seu matrice Aquosa, fovenda & exaltanda per materiam subtilem. Hæc quoad productionem sufficient, restat, ut ad differentias, ex historiis, Experienciis nempè ipsis, petendas transeamus.

X I.

Differentiæ notabiles scopiis in Molis obseruantur: prout enim rara in diversis hominibus eadem super faciei organorumque delineatio observatur: Sic etiam tam ratione loci motus interni humorum prædominantium vario modo illas partes afficiunt & disponentium & ovorum diversimodè jam fabricatorum variæ procreantur Molæ. Hisce non minimam insuper ansam præbent retardationes & moræ diutinæ, quas contrahunt in utero arctius clauso & obstructo, undè abluvies & incrementa acquirendo, sensim ab illis sese insinuantibus particulis, non satis in rudi illâ massâ digerendis, attenuandis, deformem magis acquirunt figuram: accedit ratio loci melius vel pejus figurati, cuius idæa tanto altius imprimitur, quanto majorem distensionem acquirit, adde succorum ad uterum & per ipsum fluitantium hactenus majorem ac majorem stagnationem & depravationem; qui lege naturali hoc modo ad dissolutionem partium Salinarum imperium postea exercentium, tendunt: quod satis superque in Chymicis patet experimentis. Hinc confusus, attamen in suâ confusione diversus ordo emanat. Nam corpuscula diversimodè concussa per varias circumgyrationes in canaliculis circa valvulas, glaudulas, similesque partes diversimodè retardata, commota, atque elaborata planè in plerisque suis minimis particulis solidis differre Tyroni Chymico-Physico plusquam satis constat. Ab hac varietate corporisculorum solidorum fluido innatantium diversa oriri menstrua seu liquores Salino-terrestres Aquosos nobis ad oculum vegetatio, fermentatio, Putrefactio & destillatio ostendit. Imò quid non sola maceratio & digestio solidi in fluido potest? hinc innumeræ enim metamorphoses corporum ortum desumunt, de quibus passim omnes Medici nobiliores Chymici certatim differunt, inter quos non

I N A U G U R A L I S . II

non minimum meretur locum *Langelottus* in medicis & Chymicis æquè celebris. Omnia insuper in hoc macrocosmo Phænomena hisce modificationibus miras suas variegationes debere, Tiresia cæcior ut & mēncis egregiè ratiocinantis musarumque impos, solus negare poterit. Vid. Autores.

X I I.

Signa diagnostica satis difficilia ut plurimum existunt; differentiae enim inter veras & spuriās imprægnationes, primis præcipue mensibus, vix ac ne vix quidem clarè & distinctè percipiuntur. Menstrua enim suppressa, humores ichorosi in uterum delapsi, seri extravasati, tumidae retentiones, melancholicæ imaginationes terrificæ, quæ succorum motum circa illam regionem augere possunt, etiam in gestationis & motus falsa signa promunt: Adde Molarum cum foetu naturali congestationem, ubi duo ova diversimodè figurata, aut simul aperiuntur vivifico semine masculino aut diverso coitu jam præexistente naturali vel deformati foetu ibidem generentur explicanda, & motu vegetativo imprægnanda ovula. Hæc ità nominare mihi liceat, quoniam in viviparis & oviparis animalibus illa multò minori mole præexistere statuo, in fecundatione quàm in exclusione. Hinc ob incongruè juxta se invicem posita corpuscula, mirum in modum immobiliar duriorque informis massa, foëtum bene figuratum afficit premendo, fricando, aut succos non bonæ notæ existentes communicando: sed quoniam de Mola hic nobis tantum sermo est, ideo de illis supersedebimus ulterius inquirendis. Non raro etiam ipsa menstrua debitè fluentia observantur in gravidis, tam Mola quàm foetu naturali instrutis.

X I I I.

Signa communia foeminæ gravidæ igitur, & hic pro tempore locum tenere possunt: Nempe cibi fastidium, nausea, appetitus varius, menses obstructi, coloris faciei mutatio &c. Diffe-

12 DISPUTATIO MEDICA

runt autem plerumque medio gestationis tempore , ubi motus & figura vitiata sese manifestant , lac nullum , sed potius serum aliquod Salsum , quod in Virginibus bis observavit *D. Jacobus le Mort* Praeceptor , ac studiorum meorum Promotor , ad aras usque colendus in suâ Praxi , una tredecim , altera septemdecim annorum existentibus , quibus menses nondum fluxerant , Symtomata insuper graviora ut plurimum ingruentia , quam in veri foetus gestatione , nempè virium collapsus , Respiratio difficilior , dorsi & inguinum dolores , ultimò gestationis tempus , saepius ultrà modum protractum , ita ut in tota aliquando vita nunquam ea liberentur , partusque valde molestus . Hæc incommoda , & signa quare talia Molam & non foetum concomitentur sequentibus ratiociniis enucleabimus .

X I V.

Primo occurrent signa communia , quæ & h̄ic locum capescere debent , præter alias ob duas præcipue rationes (1.) ob humorum circa uterum jam obsesum alterationem situ nempè ipsius uteri alio modo sese disponente . (2.) Ob spirituum animalium interceptum cursum , aliamque determinationem circ̄ illas partes , qui postmodum communicati alterationes varias circ̄ reliquos humores efficiunt . Concipiamus enim poros & meatus rectilineos majores , rotundos , tales etiam transmittere modificatos humores , quibus spiritus proprii interfluunt ; hi , quamdui sphæricis occurrent particulis , blandè & amicè iisdem permiscentur , vel juxtā se invicem sine turbatione pergunt , undè motus seu circulatio blanda , naturalis dicta . E contrā , ubi pori illi rectilinei ampli & rotundi nimis in longum extenduntur & contrahuntur à mole aliquā incumbente , partesque illas premente , vel ubi interstitia pororum & meatuum hic illic replentur , statim figura illa non solummodò vitiatur , sed & influxus humorum tardior corundemque manifestæ mutationes occurrent . Hi igitur jam in suā figura alterati humores , ratione nempè terræ & salis spiritus animales , ex illis cum materia subtiliori confundatos , pervertunt , & alterant . In cursu igitur diversissima

jam

jam figura forsán quadrata oblonga præditorum succorum cum aliis sphæricis lucta ut plurima nascatur extra omne dubium est, ubi simul se invicem destruunt, vel in mutuos amplexus ruunt, utroque modo particulas heterogeneas pariunt toti corpori noxiis. Ex hisce præcipue causis gravidarum naturalia incommoda oriri absque ullâ hæsitatione, cum hæc Mathematicis innitantur veritatibus, pronunciamus, quæ ulterius prosequi ultrâ harum pagellarum terminos excurreret.

X V.

Signa peculiaria Molarum gestationi præsertim convenientia ex eodem fonte oriuntur. (1.) Quamdiu enim liber aliquis transitus per intumescentem seu vegetantem Molam remanebat, tamdiu mollior adhuc & flexibilior ejus erat massa, ita ut pro parte sese accommodarat humoribus & utero, prout tenelli arborum rami, in quascunque figuras plicatiles; verum post incrementa solidior pororum & meatuum consistentia, non nisi sui generis modificatos halitus & succos transmittens, tantò pejora symptomata & signa producit, quanto magis à statu & consistentia naturali deflectunt, post mutuum particularum impetum & occursum. Hinc facile concludi potest, differentes in figura Molas diversa, mitiora, aut vehementiora incommoda debere producere, ut Historiæ illud notant. (2.) Massa hæc inconditæ, totum ventrem æqualiter nimis dilatans ob ruderoram & obtusam figuram ubique premens, & partes vicinas distendens, molesta sèpius respiria ob angustationem vasorum, nimis in longum protractorum, efficit; quod sufficienter in Asthmaticis supinè jacentibus patet. (3.) Incondita densior structura, minori ætherea fruens aura, gravativum quoddam pondus iners procreat, utero & toti corpori molesta, undè, cum per se moveri nequeat, matricis motui tantum obedit, & hoc modo in diversas partes trahitur secundum jactiones vel positiones corporis, secus ac fœtus, qui motu etiam proprio gaudent, plerumque circulari, ab infima ad summam uteri partem vergente.

B 3

(4.) La-

44 DISPUTATIO MEDICA

(4.) Lactis defectum indè deducendum suppono, quoniam fœtus naturalis Chylo perfectiore in lac vertendo vitam suam vegetivam sustentat, ideo plurima debito modo figurata effuvia, & humores modificati, sursum è tenello fœtus corpore ad lymphaticas pergunt partes, qui copia accrescentes, lege motus sui totum corpus pervadunt, & primò alterationes quasdam impriment, postmodum poros & meatus mamillarum fubeundo, tanquam menstruum (liceat Chymicorum vocabulo uti) aliquod appropriatum claustra ibidem reserant, magisque patulas illas vias reddunt, undè lactis influxus continuus servatur. Hanc lactificationem, si ità loqui liberum sit, ex hisce rationibus debere fieri, testantur fœtus ipsi lacte jam gravidì illiusque tantummodo productionem grandiori & benè formato jam existente ipsius corpore. Alterum vero lactis fictitii, seu potius seri falsi generati vitium existit à nimis præcipitata lympha, à sale Acidiori ibidem deposita, ut patet in experimentis Boyleanis super lympham, albumen ovi &c. quæ inter alia innumera, mihi videre & perscrutari licuit apud suprà nominatum virum Celeberrimum D. Le Mort, quorum aliqua non semper cum scriptis Philosophi Acutissimi conveniebant. Hisce igitur in Mola deficientibus modificatis exhalationibus, ut lac etiam deficiat in mammis, necessum est. Prout enim simile tantum simili gaudet, porisque proportionata debeant esse salia & corpuscula terrestria, sic etiam in hoc casu. Sed de his in præsentiarum satis. (5.) Gestationis tempus hic incertum, quoniam pessima figura globosa, uteri collo non ita facile adaptatur, ut egressum facilem præbeat; humorum liquidiorum defectus non ita lubricas neque molles reddens illas partes majorem adhuc difficultatem parit, tandem immensam in molem congesta utero illam ferre mulier, maximâ cum sui corporis molestiâ, ruinâve ipsa cogitur &c.

X V I.

Prognosis, quamvis in hoc casu incerta & dubia, attamen plerumque mala pronunciatur ob rationes superius allatas. Vitiatus enim corporis succus vires prosternit, indigesta & rudis massa ad separationem & exitum inutilior partes ubique gravat. Hęc incom-

incommoda tanto majora mala præsagiunt, quanto ipsa Mola diutius in utero moram trahit, & incrementa acquisit. Si coniuncta scœui existat naturali interitum vel noxam aliquam ipsi communicat, imò exclusionem sèpius difficultorem reddit.

XVII.

Ad tria igitur potissimum signa hunc casum reducemos. (1.) Malum omen exhibet uteri frigus, minorque motus excrescentis licet Molæ, unde menstruorum & excrementorum suppressio, valde incommoda gestatio & succorum impuriorum generatio, semper in pejus matrem trahunt. (2.) Pejus est si coeconomia totius corporis jam ita turbata existat, ut valetudinaria non solum, sed & morbosa fiat, nempè hydropica, summe melancholica, icterica, nephritica &c. cum hæc ruinam illius machinæ minitentur ob rationes superius recensitas, præsertim, quoniam Medicus vix illas vias & vestigia delere possit, per quæ illi succi malè conformati suas imperfectiones acquirunr. (3.) Pessimum est, ubi ultrà mensem undecimum perstat Mola, quoniam ad aliquot sèpius annos dein commoratur: imò vasta sèpius moles uteri spatia non solum occupans observatur, sed & ejus parietibus seu lateribus adhærendo divelli sese non patitur, præcipue si una existat carnea massa. Dysenteria vel sanguinis fluxus immodici ob acrimoniam humorum, aut vasorum aliorum anastomosis violentam, pessima etiam, & lethalia signa pronuntiant in debilitato jam corpore.

XVIII.

Quamvis omnis Mola sit mala & aliquo modo semper periculosa teste Divino Sene, existat: Attamen non uno eventu tristii infelices reddit suas matres. Minus igitur periculosa, si nutrimento negato maturè extenuetur Mola: si leviora tantum incommoda exhibeat: Si in frustra planè secessatur, hic illic cohærentia: Si antè sextum mensem à Medico dignota, Curae facilior-

16 D I S P U T A T I O M E D I C A

faciliiori auscultet: Si mense tertio aut quarto excludatur, quamvis non sine cruciatu & doloribus: Si vegeta persistat Mater, Melancholiæ & otiosæ vitæ minus dedita. Ex hisce igitur omnem salutis spem conclamatam nondum esse sufficienter patet, quæ solertis & industrii Medici & Chyrurgi ingenio & manu utplurimum acquiri potest, ut in sequentibus apparebit.

X I X.

Curatio difficillima sæpius existit, ob superius datas rationes; verum omnia tentanda prudenti Medico, ne patiens incidat in desperationem, vel morbus incrementum nimium acquirat. Tria autem summè observanda in adhibitione medicamentorum, primo ægræ status quoad proprium corpus tam fluidum quam solidum. 2. Magnitudo Molæ illiusque ætas motus & figura 3. Excretiones retentæ vel in majori copia & extraordinario modo depositæ. Quoad primum, non semper Medicus ipsam morbi causam aggredi debet, aut potest, cum tot sint incommoda in aliis locis, & humorum conditio in tantum alterata sit, ut liberum agendi medicamentis modum denegent, imò sæpius planè alias actiones ipsis imprimant summo cum periculo ægrotantis. Ideoque humores primò corrigendi, partes corroborandæ; Acida austera, si quæ sint infringenda, ut illis postea impedimentis sublatis, tutior & facilior remediorum copia ingressum ad ipsa penetralia mali obtineat. Quod secundum attinet, ignorantiam Medicus suam propalaret, si longa mora & vita diutina ad sumnum excretam Molam medelis suis solis expellere sese posse crederet, præcipue ubi duriorem & solidiorem consistentiam acquisiverit: in tali enim casu refocillantia & palliativa in usum trahenda, vel saltem ea, quæ ab ulteriori detimento, quantum possibile, corpus præservare possint, & ab augmento nimio Molam detinere. Manus enim & instrumenta Chirurgica hic maxime valent, quam tota remediorum potabilium caterva. Quod ad tertium pertinet, summo nisu conandum, ut excrementa libere deponantur, quoniam fæces reten-

tæ duplex incommodum pariunt, nempè propriarum viarum obstructionem & distensionem, vicinarumque angustationem, spiritus itidem resoluti ex illâ putredine, altum petentes, proximis præterfluentibus permixti particulis, acredinem manifestam communicant, illas ex asperant, partesque solidas pungendo & vellicando irritant, undè mirum in modum ceconomia corporis animalis perturbatur & lœditur. Ubi verò excretiones nimis acres & copiosæ existunt, illa non statim adstringendæ sed blandis oleofis, mucilaginosis & balsamicis, alcalicis medicamentis sunt leniendæ, involvendo nempè particulas acres salinas peccantes, eas sensim expellendo, ut hoc modo patulæ & lubricæ permaneant viæ.

X X.

In medicamentorum administratione duo observanda veniunt, vires & usus. Vires debent esse convenientes patientis viribus, undè à minori potius dosi incipiendum, sæpiusque illa repentina, ut hoc modo figuram & efficaciam suam imprimere possit massæ sanguineæ, quæ ad additiores recessus penetrans suum Charactarem ubique inducit, adeoque statum alterat in melius. Violenta remedia, Herculea dicta nonnisi post debitas corporis, qua fluidi, qua solidi, præparations exhibeantur. Alias enim maxime turbata mixtura horrenda non raro symptomata in suâ exēstuatione producit; hinc Lypothymię, Dysenterię, Hæmorrhagiæ violentiæ per aperturas vel disruptiones vasorum plerunque ortum trahunt. Rejicienda igitur in principio Diuretica acriora & vesicantia, ut Cantharides, & infecta acri sale prædicta, fortiora sursum aut deorsum purgantia ut Helleborus, Euphorbium; quæcumque vomitoria per artem Chymicam parata, & reliqua illius farinæ, quæ motus tumultuosos in misere afflictæ jam republica excitare valent; hæc tantum inservire debent ubi status placidior maxime firmatus est humorum, & unanimiter conspirare possunt ad extirpandam aliquo modo jam & debellatam Molam. Usus non semper unus idemque alia enim

in halitu, vel in substantia per os, alia, in ipso collo uteri, ut pessaria, recipiuntur. Notandum autem maximo cum emolumento fumigationes vel pessaria adhiberi, immediatè antè assumptionem medicamentorum uterinorum, hoc enim modo irritatæ illæ partes spiritus animales & succos præcipios illuc evocant, & remedia adhibita hoc modo ad illas partes determinantur, ut feliciorem successum præbeant. Neutquam verò pessaria vel fumigationes in usum accersendæ, nisi post humorum emendationem, ut spiritus illuc copiosiores fluere possint ad illorum efficiaciam stimulandam.

XXI.

Primum igitur ordinem occupare debent massam sanguinis corrigentia quæ in hoc casu usum eximium obtinent, ut potè quæ seruos ad acidum declinantes humores absumunt per levem diaphoresin, & alcalicam præcipitationem, ut & per dilutionem si crassior & tenacior fuerit ejus consistentia. Hæc in ligno Guajaco, Sassafras, Sarsaparilla, China, Croco & similibus repiuntur: formula se quens tam in modo utendi quam in viribus mihi maximè arridet.

- R. Lign. Sassafr. 3ij.
- Rad. Sarspar. 3ij.
- Liquirit. 3j.
- Curcum. 3ij.
- Croc. 3fl.
- Salv. p. j. M.

Grosso modo contusis & concisis fiat infusio cum aqua communis fervente, prout herba Thee extrahi solet, eodemque modo absorbeat, semel aut bis de die illud continuando. Corroborationis, id est talia medicamenta, quæ solutionem continui non solum præcavent, sed & quæ figuram proportionatam nostris succis & humoribus nutritiis obtinent, ut defectum resarcire, & deflectentes à quacunque causâ retinere, vel reducere integros possint

possint hujus notæ sunt Diætética ex alimentis Euchymis, ut carnes ovillæ, vitulinæ, Gallinaceæ &c. Milium, Hordeum mundatum, & hujus generis alia, superbibendo parum vini generosi ad refocillationem virium, & fermentationem augendam: Pharmaceutica è conservis florum & foliorum tenellorum vegetabilium blandâ adstrictione, & particularum molliori consistentia, in succulentam pulpam reducenda præditorum, uti sunt Conserva Menthæ, Melissæ, Rosarum, Calendulæ, rosmarii Violarum &c. quæ in hunc finem & non in aliud à Medico præscribi poterunt ad alios enim usus nimis debiles earundem actiones existunt. Animi affectus ad lætitiam inducti non minimum inter corroborantia locum possident, quoniam violentæ corporis concussions hic pessimæ, statum humorum debitum invertunt. Moderata & alterna requies corporis hisce etiam annumeranda; spiritus enim hoc modo placidi remanent, qui alias in furorem vertuntur aut fuga pereunt.

XXXI.

Corroborantibus subjungemus Cardiaca, quamvis illa duo sèpius in uno tertio convenient. Ea mihi Cardiaca nominantur quæ tenui suo sulphure & blando sale nervos demulgere, ventriculum adjuvare, Capitis, uteri, Cordis, ceterarumque partium principum functiones sufficienter instaurare, & fermenta acria debellare possint. Unde Cardiaca possunt dici stomachica, Cephalica, Uterina &c. id est talia, quæ harmoniam & consensum partium conservant lenissimum inducendo ut sunt Melissa, Cortices citri, aurantiorum, Cinnamomi, Cassia lignea, Macis, Nux Moschata &c. Ex hoc censu autem eliminamus acriora quæ non tantum motum levem communicant tam odore quam sapore, sed etiam fervidum incitant & imprimunt humoribus æstum aut tumultum.

X X I I .

Tandem in melius disposito corpore ad ipsam Molæ eliminationem Medico pergendum. Fortiora hic requiruntur remedia, ut motus nempe violentior communicatus ad partes illas pertingat. Primo post generalem factam evacuationem per purgantia, quorum duas aut tres formulas sursum vel deorsum operantes hic opponemus.

R. Infusionis vitr. Antim. 3ij.
Tinctur. Contrajerv. 3l. M.

R. 3ij. vit. correct. gr. v.
Oleum Sabin. gutt. ij.
Conserv. Ros. pall. 3j.
M. F. Bolus.

R. Extract. Hellebori nigr. 3l.
Brion. gr. iv.
Gutt. gamb.
Ref. agarici aa. gr. v.
Trochisc. Alhandal. gr. ii.
Oleum Mac. stillat. gutt. ij.
M. F. L. a. Pillul. No. vij.

Ad specifica dicta uterina properandum quorum sequentia sunt, Castoreum, Sabina, Ruta, Artemisia, Borrax, Cyperus rotundus odoratus Dictamnus albus, Succinum, Myrrha, Pilulae foetidæ, Pulvis ad partum difficultem D. Wedelii, Essentia uterina D. Michaëlis, Pulvis uterinus B. D. Loffii Præceptoris mei olim Wittebergæ fidelissimi, Aqua Antihysterica Amstelodamensium, Hiera picra Galeni &c. Ex his præparata extracta Salia & Olea, ut Spir. Sal. armoniaci. Oleum succini Sal volat. Oleosum uterinum &c. Formulas earundem sequentes hic exhibebimus, quarum ulteriorem descriptionem & numerum apud Auctores passim reperire poterit Curiosus Lector.

R. Aquæ

I N A U G U R A L I S. 21

R. Aquæ ror. mar.
 Lavend. aa. 3ij.
 Sp. Matrical. 3j.
 Sal. armoniaci 3ij.
 Oleum Lign. Sassafr. gt. v.
 Sabin. gt. ii.
 Tartar. vitriolat 3*lb.*
 Rad. Contrajerv.
 Cyperi rotund. odorat. aa 3*lb.*
 Syrup. de artemis. M.
 De hac Mixtura capiat ægra singulis 2. horis
 Cochl. j.

R. Rad. apii.
 Dictamn. alb.
 Polypod. quern. aa. 3*lb.*
 Scorzoner. Hisp. 3j.
 Sem. dauci vulg.
 Nepeth. aa. 3ij.
 Rut. 3j.
 Fol. ror. mar.
 Matricar. aa. Mj.
 Tartari crud.
 Salis Tartari aa. 3ij.

Concis. & Contus. macerentur in Vino Rhenano & Aqua
 comm. aa. per hor. 2. postea coqu. in MB. clauso vase ab
 igne remoto decocto adde

Lign. sassafr. 3vj.
 Rad. cyper. rotund. odorat. 3ij.
 Contrajerv. 3ij.

Refrigeratus dein liquor coletur cuius 3xxiv.
 permisc.

M

C 3

Sal.

22 DISPUTATIO MEDICA

Sal. volat. uterin ʒij.

Spir. matrical. ʒfl.

Syrup. stachad. ʒij. M. F. Apozema.

Hujus decocti ægra capiat ʒij. l. alteram q. de die.

Pulvis seqq. fortissimus est ad foetum, Molam, & secundinam expellendam:

℞. Croc. Martis. aperient ʒfl.

Cantharid. rite ppt. gr. iiij.

Sabin.

Borrac. Venet. aa. gr. xij.

Castor. gr. vj. M. F. pulvis. pro una dosi.

In Vehiculo convenienti semel aut bis de die urgente necessitate propinandus. Reliqua pro lubitu conficere poterit Medicus.

XXIV.

Instante exclusionis tempore clyster ex acrioribus stimuli loco injiciatur seqq. l. similis

℞. decoct. ex herb. uterin. & cephal. dictis fact. ʒix.

Bryon. ʒij.

Euphorb. ʒfl.

Mell. anthosat. ʒij.

Sal. Armoniaci. ʒiv. M.

F. Clyster. statim injiciendus.

Postea fumigationes adhiberi poterunt, optima mihi seqq. videtur.

℞. Spir. Salis. armoniaci ʒfl.

Vini Uterin. ʒvj.

Oleum rut.

Sabin. aa. gt. xij. M.

Inden-

Indentur phialæ oblongi colli cuius extremitas collo uteri imponatur adhibito inferius leni calore sic vapores ascendentess ute-
rum ad majorem aperturam stimulabunt. Quæcunque insuper
sale volatili prædita prunis imposita & per tritorium in vulvam
excipienda ferè idem præstant, ut ungułæ, cornua, plumæ, os-
fa & simil. Pessaria ex solo sinapi & urticæ semine cum parva quan-
titate Euphorbii, aloes sufficiunt. Fotus & balneatio hic etiam
valdè conducit ut molles & glabras reddat partes. Hæc si irrito
successu tentata sint ad Chirurgicas manuales operationes &
instrumenta transeundum est; Si verò illas tanquam nimis violen-
tas abhorreat Medicus & ægra, lenioribus & palliativis tantum
insistere cogitur, donec Deo Opt. Max. aliter visum fuerit, cui
soli sit Laus & Gloria sempiterna.

F I N I S.



